

Christoph Lippe von der Andreas Stampeel

## **Disputatio De Emptione Et Venditione**

Rostochi[i]: Pedanus, 1613

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730623785>**

Druck Freier  Zugang



Kauf und Verkauf

R U zur 1613.

Christoph von der Lippe Præs.

Andreas Stampel Resp.







25  
47  
48

DISPUTATIO  
DE  
EMPTIONE  
ET VENDITIONE.

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Consensu & auctoritate Nobilissima & amplissima  
Facultatis Juridicae in alma Rostorum  
Academia

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO von der Lippe  
Juris Doctore

Publicæ disputationi subijcit

ANDREAS STAMPEEL.

T. D. 158. 25. Reval. Livon.


In Auditorio majori 24. Aprilis

ROSTOCHI

Typis Ioachimi Pedani, Anno M. DC. XIII.

Ru per 162





L-D 1301



DISPUTATIO  
DE EMPTIONE ET VENDI-  
TIONE.

**I**nter omnes Jurisgentium contractus cum nullus inveniatur, qui usibus & commoditatibus hominum inserviat magis, quam contractus Emptionis & Venditionis, ita quidem ut Romani veteres propter eminentiam omnibus ferè sollempnitatibus puta Adoptionibus, Emancipationibus, Testamentis, &c. Illam adhibuerint. Idcirco opera pretium nos facturos arbitramur, si de hoc contractu presenti disputatione aliquid dixerimus.

THESIS I.

**D**efinitur Emptio & Venditio contractus Jurisgentium bonæ fidei, quo consensu interveniente res certò pretiò permutatur *l. 1. §. 2. h. t. §. 28. Instit. d. act. §. 1. Instit. h. t. l. 1. §. 1. Eod.*

II.

Hinc liquet tria esse hujus contractus substantialia, Consensum, Mercem & Pretium, quorum primum ab utraq; posteriora duo ab alterutra parte Merx nimirum à Venditore, pretium ab Emptore, requiruntur.

III.

Consensu igitur cum contractus hic potissimum constat *l. 1. §. 2. h. t.* consequens erit, illos omnes rectè contrahere qui & consentire possunt, nisi specialiter lege prohibiti reperiantur.

IV.

Pupillos & Furiosos cum consensu destituantur emere & vendere haud posse indubium est, intermissionis autem tempore, quin furiosi majores viginti quinq; annis quoslibet contractus rectè ineant non ambigitur. *h. 2. C. h. t.*

A 2

Lege



## V.

Lege Tutor cum pupillo hunc contractum inire, illi-  
usq; res emere prohibetur, idemq; porrigendam est ad si-  
milia: id est ad Curatores procuratores, & qui negotia  
aliena gerunt *l. 34. §. fin. ff. h. t.*

## VI.

Si tamen tutor contutorem habeat, cujus auctoritas  
sufficit, si non mala fides intercesserit proculdubio emere  
potest, *l. 5. §. 2. d. auct. tut.*

## VII.

Inter patrem & filium quoq; emptio venditio præter-  
quam de rebus castrensibus, & adventitijs in quibus pater  
usumfructum non habet, non subsistit *l. 2. in pr. ff. h. t. l. fin.  
C. d. bon. qua lib.*

## VIII.

Is quoq; qui officij causa in provincia agit, neq; per se  
neq; per aliam personam quid emere, vel etiam prædia in  
eadem provincia comparare potest, præterquam si pater-  
na à fisco distrahantur *l. 46. §. 62. in pr. ff. h. t.*

## IX.

Similiter venditio possessionum ab ægroto tempore  
morbi metu amittendæ valetudinis à medico extorta, nulli-  
us momenti esse censetur, medicos enim ea quæ sani pro  
obsequijs offerunt non quæ perichitantes de salute promit-  
tunt, accipere Imperatores permittunt *l. 3. d. extraord. cognit.  
l. 9. C. d. profess. & Medic. lib. X.*

## X.

Deniq; ad Barbaricum transferendi vini olei & liqua-  
minis nullam quisquam habet facultatem, nec gustus qui-  
dem causa aut usus commerciorum, *l. 1. C. qua res export.  
non deb.*

## XI.

Consensus porro in hoc contractu requiritur perfe-  
ctus.



Etus siue enim in ipsa emptione dissentiant contrahentes,  
siue in pretio siue in quo alio emptio imperfecta est *l. 9. h. t.*

XII.

Idcirco si ego me fundum Cornelianum emere putarem, tu mihi te vendere Sempronianum putasti, quia in corpore dissensimus, emptio nulla est *d. l. 9. h. t.*

XIII.

Idem planè est si in substantia erratum fuerit, ut puta si æs pro auro, plumbum pro argento veneat, licet enim in corpore hic consensus, attamen cum in materia erratum fuerit, emptionem nullam esse, licet Marcellus contrarium existimet, cum Vlpiano concludimus *l. 9. §. 2. h. t.*

XIV.

Secus tamen est si materia pro auro vendita aurum quidem sit, sed deterius quam emptor existimarit, tunc enim emptio valet *l. 10. h. t.*

XV.

Idem est si materia utroq; errante pro auro puro vendita aliquid in se auri habeat, licet magna ex parte ænea, vel etiam in aurata sit, eo enim casu quin emptio venditio subsistat non dubitatur *l. 14. h. t.*

XVI.

Error etiam nominis, dum de corpore constat, quin emptioni non obstat nulla dubitatio est, nihil enim facit error nominis ubi de corpore constat *l. 9. §. 1. h. t.*

XVII.

Si tamen in corpus quod ante completam venditionem in natura esse desijt, consensus fuerit, nulla venditio est, *l. 15. h. t.*

XVIII.

Consensus hic quocunq; modo exprimat sufficit, ideoq; inter absentes contrahi quoq; potest & per nuntium & epistolam peragitur *l. 1. §. 2. h. t.*

A 3.

Purè



## XIX.

Purè deniq; vel conditionaliter in scriptis vel sine scriptura contractus hic rectè initur, conditionalis enim emptio & venditio tunc valet ubi conditio existit *§. 4 Inst. h. t.*

## XX.

Conditio tamen quæ ab initio contractus dicta est postea alia pactione immutari potest, sicuti etiam abiri tota emptione potest, si nondum impleta sint quæ utrimq; præstari debuerunt *l. 6. §. 2. h. t.*

## XXI.

Omniū porro rerum quas quis habere vel possidere vel persequi potest, venditio rectè fit, quas vero natura vel gentium Jus vel mores commercio exuerunt, earum nulla venditio est *l. 33. §. 1. h. t.*

## XXII.

Nec interest res sint corporales vel incorporales, nominis enim venditio etiam ignorante vel invito eo adversus quem actiones mandantur contrahi solet *l. 3. C. de hered. vel act. vend.*

## XXIII.

Universalium etiam rerum puta hereditatis, modo defunctus sit cujus hereditas venditur, jure subsistit *l. 3. §. tot. tit. d. hered. ut. act. vend.*

## XXIV.

Rerum quoq; futurarum puta spei emptio & venditio rectè contrahitur, quod fit cum fructus & partus futuri; captus piscium, avium, vel missilium emuntur *l. 8. §. 1. h. t.*

## XXV.

Rem itidem alienam distrahere quem posse nulla dubitatio est, nam emptio est & venditio. Sed res emptori auferri potest *l. 28. h. t.*

## XXVI.

Multum autem in venditione rei alienæ, sciens emptor  
ab



ab ignorante differt, hic enim re evicta interesse, ille, nisi interpositâ evictionis stipulatio fuerit, ne pretium quidem consequi potest *l. 23. l. 28. C. d. evict. l. 13. C. d. jur. dot.*

XXVII.

Ex precedentibus patet neq; liberi hominis, neq; loci sacri, & religiosi, qui haberi non potest emptionem intelligi, nisi ab ignorante ematur *l. 4. h. t.*

XXVIII.

Propriæ rei emptio non valet siue sciens siue ignorans quis emerit: quod si ignorans emero, & solvero repetere potero, quia nulla obligatio fuit *l. 16. h. t.*

XXIX.

Si tamen sub conditione id quod meum est emam, venditio subsistit, quia forte speratur meum esse desinere, idem est si ab initio rei propriæ possessionem emero, quam forte venditor habuit & in iudicio possessionis potior esset. *l. 61. l. 34. §. 4. h. t.*

XXX.

Rei deniq; litigiosæ, uti & veneni mali emptio & venditio, nisi adjectione alterius materiæ nobis usui esse possit, jure minime procedit *l. 1. d. litig. l. 35. §. 2. h. t.*

XXXI.

Cæterum ad id ut perfecta censeatur venditio tertium substantiale pretium nimirum ut interveniat necesse est, emptionem enim est venditionem, tum contractam Imp. Justinianus dicit, simulatq; de pretio convenerit *in pr. Instit. h. t.*

XXXII.

Ad id vero ut res emptoris fiat nihil interest solum, sit pretium an eo nomine fidejussor datus sit, vel etiam si dem habuerim emptori sine ulla satisfactione *l. 19. h. t.*

XXXIII.

Certum quoq; & determinatum esse pretium debet, imperfectum enim negotium, cum emere volenti sic venditor di-



tor dicit, quanti velis, quanti æquum putaveris, quanti  
æstimaveris habebis emptum, esse censetur *l. 35. §. 1. h. t.*

XXXIV.

In arbitrium tamen boni viri conferri pretium potest,  
ita, ut siquidem ille definierit, venditio constat. Sin autem  
ille qui nominatus est, vel noluerit vel non potuerit pre-  
tium definire, tum pro nihilo erit venditio quasi nullo pre-  
tio statuto *§. 1. Instit. h. t.*

XXXV.

Hujusmodi etiam venditio, quanti tu eum emisti, quan-  
tum pretij in arca habeo, valet, nec enim incertum est pre-  
tium tam evidenti venditione, magis enim ignoratur quan-  
ti emptus sit, quam in rei veritate incertum est *l. 7 §. 1. h. t.*

XXXVI.

In pecunia deniq; numerata pretium consistat necesse  
est, alia enim res fungibilis puta homo, toga, fundus alte-  
rius rei pretium licet Sabinus & Cassius id tentiat, esse non  
potest *§. 2. Instit. h. t. l. in prin ff. eod.*

XXXVII.

Pretij tamen causa licet non pecunia numerata, sed pro  
ea pecora consentienti data fuerint, contractus non con-  
stituitur irritus *l. 9. C. de rescind. venditio.*

XXXVIII.

Dominium deniq; pretij emptor in venditorem nisi fi-  
dem ipsius venditor secutus sit, transferre compellitur *l. 11.  
§. 2. in fin. d. act. empt.*

XXXIX.

Ex sola tamen traditione mercium, venditore in em-  
ptoris fidem secutum fuisse concludi non potest.

XL.

Contractu hoc modo, uti posuimus, ex omni parte  
perfecto venditor emptori rem tradere, ejusq; vacuam pos-  
sessionem in illum transferre tenetur. *l. 25. §. 1. h. t. l. 11. §. 2. d.  
act. empt.*

Do-



### XL I.

Dominum autem illum facere non cogitur, sed sufficit simpliciter rem tradere, quæ traditio efficit, ut siquidem dominus sit venditor, & emptorem dominum faciat, si non fuit, usucapiendi conditionem in illum transferat, & evictionis nomine venditorem obliget *l. 11. §. 2. d. act. empt.*

### XL II.

Nemo tamen videri potest eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur ne ad emptorem transeat, sed hoc aut locatio est aut aliud genus contractus *l. 80. §. 3. h. t.*

### XL III.

Interesse quoque præstatione venditor non liberatur, cum hunc contractum necessitatem tradendi in se habere Justin. Imp. omninò voluerit, *in §. 2. Instit. d. donat.*

### XL IV.

Hinc quæritur si res vendita, antequam tradatur, perierit puta si homo læsus vel mortuus sit, vel ædes pro parte, vel in totum consumptæ sint, cuius sit periculum? Resp. Si sine culpa vel dolo venditoris hoc accidat, emptoris periculum esse *l. 35. §. 4. & 7. h. t. l. 34. §. 6. eod.*

### XL V.

Vnde patet, si vendito fundo per alluvionem aliquid ei accesserit, ad emptoris commodum pertinere, nam & commodum ejus esse debet cuius periculum est. *§. 5. Instit. h. t. l. 68. eod.*

### XL VI.

Oritur ex hoc contractu duplex actio, empti nimirum  
B & ven-



& venditi, quarum prima emptori, posterior vero venditori accommodatur *l. 11. §. tot. tit. d. act. empt.*

XLVII.

Agit vero emptor actione empti tam adversus ipsum venditorem quam ipsius heredem, ut rem venditam unâ cum accessionibus & fructibus à tempore solati pretij præstet, *l. 13. d. act. empt. l. 49. d. O. §. A.*

XLVIII.

Interim in emptoris arbitrio, utrum ad rem ipsam, an verò interesse agere velit positum putamus.

XXIX.

Venditor similiter actione venditi contra emptorem, ejusq; heredem ad pretium & usuras à tempore traditionis & moræ commissas consequendas experitur *l. 13. §. 1. §. §. seq. l. 51. d. act. empt.*

L.

Contrarius est consensui dolus, quocirca emptionem & venditionem cui dolus causam dedit, absq; ullâ rescissione, ipso jure nullam esse cum Cujac. contra Robertum concludimus *l. si dolo C. d. resc. vend.*



COROL-



# COROLLARIA.

I.

*An Mercatura exercitium nobilibus & illustribus personis conveniat!*

II.

*An quis invitus possit cogi ad emendum vel vendendum?*

III.

*Si quis duobus unam rem vendat quis praefertur?*

IV.

*An vitium rei vendenda necessario exprimi debeat?*





















XLI.

rem illum facere non cogitur, sed sufficit adere, quæ traditio efficit, ut siquidem emptor, & emptorem dominum faciat, si non conditionem in illum transferat, & venditorem obliget *l. 11. §. 2. d. act. empt.*

XLII.

videri potest eam rem vendidisse, de cuius nomine ad emptorem transeat, sed hoc ad genus contractus *l. 80. §. 3. h. t.*

XLIII.

q; præstatione venditor non liberatur, etiam necessitatem tradendi in se habere non voluerit, *in §. 2. Instit. d. donat.*

XLIV.

si res vendita, antequam tradatur, perierit vel mortuus sit, vel ædes pro parte amptæ sint, cuius sit periculum? Resp. Si pro venditoris hoc accidat, emptoris periculum. *l. 4. & 7. h. t. l. 34. §. 6. cod.*

XLV.

vendito fundo per alluvionem aliquid ei emptoris commodum pertinere, nam & comeditur debet cuius periculum est. *§. 5. Instit. h. t.*

XLVI.

contractu duplex actio, empti nimirum & ven-

B